



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

3 Quenam res poßint in emphyteusim dari, aut non dari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**



Julius Clar. *lib. 4. sententiarum. §. Emphyteusis, quest. 6.*  
& Couarruias *lib. 2. variarum resolutionum libro 6. num. 5.*

Contrariam habet Bartolus in *Authen. Qui rem, num. 7.* quam dicit esse communiter receptam Alexand. *consil. 143. num. 5. lib. 7.* & hanc magis approbat Couarruias. Prima vero sententia verior Julio Claro visa est. Sed certe probabilius videtur secunda.

Quæres, ad quoram vsque generationem possit res Ecclesie in emphyteusim dari? In *Authen. de Non alienan. aut permutan. reb. Eccl. §. Emphyteusim*, significati videtur dari non posse, nisi ad vitam eius, cui datur, & ad vitam filij, & nepotis eiusdem; vel ad vitam accipientis, & uxoris, & vnus descendendum: hoc est, non posse dari nisi ad das generationes. Nihilominus, Iulio Claro teste in *loco citato*, communi consensu receptum est, vt dari possit ad tertiam, quartam, & vltiorem generationem; idq. colligi videtur ex *Authen. de Alien. §. Emphyteusim. §. Licentiam*. Vnde teste Bartolo, & Speculatore, quos citat Panor. *cap. In presentia, num. 25. & seqq. de Probat. & Felino ibidem num. 27.* prima Imperatoris constitutio est per secundam correctæ.

*Quenam res possint in emphyteusim dari, aut non dari.*

CAVTV III.

**P**RIMO quæritur, An res Ecclesie, quæ pertinent ad mensam Episcopi, possit Episcopus in emphyteusim dare, Romano Pontifice non consulto? Respondeo, minimè, *cap. Vt super, de Reb. Eccl. non alien.* nam ibi, quis Episcopus à Romano Pontifice institutus, vel eius mandato, iurat se res suæ Ecclesie non alienaturum, inconsulto Romano Pontifice, *cap. vlt. de Ecclesijs adificandis, & cap. Vt super, modo citato.*

Dubiæ quæstionis est, quorundam res dicantur ad mensam Episcopi pertinere? De hac quæstione Panormitanus in *cap. Vt super, prædicto num. 9. & seqq.* Innocentius in *eadem cap. & Glossa in Clem. 1. de Excess. Pralat. in verbo Ad mensam.*

Sciendum est: bona alicuius Ecclesie, vel Monasterij dicuntur pertinere ad mensam illius Ecclesie, vel monasterij, quia sunt destinata ad sustentandos eos ministros, & reliquos, qui illi Ecclesie, vel monasterio inserviunt, vel ad illam Ecclesiam, vel monasterium pertinent: quod si aliqua Ecclesie in hocce vsus sint annexæ alicui alteri Ecclesie, monasterio, collegio canonicorum, dignitati, vel Episcopo, dicuntur pertinere ad mensam illius Ecclesie, vel monasterij, collegij, Dignitatis, vel Episcopi. Bona igitur pertinent ad mensam Episcopi, quæ sunt deputata ad sustentandum Episcopum: ad mensam Abbatis, Præpositi, vel alterius dignitatis, quæ sunt destinata ad sustentandum Abbatem, Præpositum, vel illum, qui dignitatem habet. Ad mensam collegij Canonicorum, quæ attinent ad sustentandos Canonicos. Item ea bona, in quibus Ecclesia, vel Monasterium, vel collegium habet solum directum dominium, vtili ad alium pertinenti, non dicuntur ad mensam Ecclesie attinere, qualia sunt bona in feudum, vel emphyteusim dari solita, quia eorum bonorum utilitas non ad Ecclesiam, sed ad alium spectat. Ita Glossa, Innocentius, & Panormitanus.

Secundo quæritur, Quandonam bona Ecclesie intelliguntur rediisse ad Ecclesiam pleno iure, ita vt Prælatas nequeat ea in emphyteusim dare; puta si finitum sit tempus primæ emphyteusis, vel deficientibus emphyteuticarij hæredibus, vel delinquente primo emphyteuticario? Respondeo cum Panormitano loco citato, quamdiu illa bona non sunt iterum destinata ad mensam, posse Episcopum ea in emphyteusim tradere: secus vero, si sint denuo deputata ad mensam: tunc enim nequit Episcopus ea in

emphyteusim concedere, nisi in casibus iure concessis & Episcopi est bona Ecclesie, postquam vacauerint, ad mensam deputare.

Quid si diu Episcopus talia bona ad mensam non destinarit? Responder Panormitanus, sequutus Archidiaconum, *cap. 1. 32. quest. 8.* ea bona censeri destinata ad mensam, si Episcopus penes se retinuit vno anno.

Dubiæ quæstionis est, Quid iudicandum sit de bonis, quæ Ecclesia denuo acquirit ex pia donatione credentium, an ea bona intelligantur ad mensam pertinere? Respondeo cum Innocentio, & Panormitano loco citato, pertinere ad mensam Ecclesie, quoniam eorum bonorum proprietates, & utilitas est penes Ecclesiam; vnde Prælatas non potest ea dare in Emphyteusim, nisi in casibus iure permisis.

Tertio quæritur, An res Ecclesie possit ita in emphyteusim dari, vt transmittatur, siue transeat ad hæredes extraneos? Vna est sententia asserentium, posse dari: quam testatur esse communem Socin. *consil. 266. num. 18.*

Altera est negantium id posse fieri, quoniam dicit esse communi consensu comprobata in *mol. in l. Ex facto, num. 14. ad fin. ff. de Hæred. instit. & Alex. vt refert Iul. Clar.*

Dicendum videtur, iuxta Iulium Clarum, secundam opinionem locum habere, quando res Ecclesie datur in emphyteusim alicui simpliciter, vel etiam expressis verbis, vt transeat ad suos, non ad extraneos hæredes. At vero prima opinio locum habet, quando res Ecclesie datur ea lege, & conditione, vt transmittatur etiam ad hæredes extraneos. Nam quemadmodum res Ecclesie vendi potest, iussu de causis, & casibus iure permisis, & seruata solenni formula iuris: sic etiam potest in emphyteusim dari, eo pacto, vt ad hæredes extraneos transire queat: hoc autem tarum est.

Quarto quæritur, An res aliena possit in emphyteusim dari, si quis mala fide rem possideat? Non potest, at si dederit, tenebitur ex emphyteusi, sicut is, qui sciens vendit rem alienam, teneatur ex empto, & ideo cogetur, si euicta res fuerit, aliam æquè bonam, & vtilem in emphyteusim tradere. Si vero quis bona fide fuerit rei alienæ possessor, quamuis non peccet dando in emphyteusim, nec transeat reuera vtile dominium, transfert tamen ius, & facultatem vsucapiendi, vel præscribendi illud dominium, sicut is qui possidet bona fide rem alienam, si vendat eam, non transfert dominium, quod ipse non habet, sed ius vsucapiendi.

Quinto quæritur, An res mobilis possit in emphyteusim dari? Minimè, potest tamen locari. Res enim emphyteutica est res immobilis, quæ datur in longum tempus.

Sexto quæritur, An arbores, dum solo adherent, vt vites, oleæ, & alia similes, iure queant dari in emphyteusim? Possunt: quia tunc, quamdiu solo adherent, pro rebus immobilibus habentur.

Septimo quæritur, An redditus annuus perpetuus in emphyteusim dari queat? Minimè, quia non est res soli, quo possit fructuosior reddi. Obiecit, talem redditum haberi pro re immobili, ergo potest dari in emphyteusim. Item potest in feudum, ergo, & in emphyteusim. Respondeo, id non sufficere.

*Emphyteusis quot modis diuidatur.*

CAVTV IV.

**E**MPHYTEUSIS primo aut est Ecclesiastica, aut profana, & secularis, Ecclesiastica est constituta in re, cuius dominium directum, & proprietatem habet aliqua Ecclesia, monasterium, collegium Canonicorum, hospitalis domus, quæ sit locus religiosus, vtile dominium, laicus, vel clericus.

Profana, & secularis est in re, cuius dominium est

est